

AD ARTICULUM LXXXIV.

ARGUMENTUM.

Quomodo Index de Judicio recte constituto querere debeat, prescribitur.

EXEGESIS.

Postquam confessus judicium & Assessorum est factus, & judicium constitutum, tum Judex tenetur singulos Assessores interrogare, an Judicium istud recte & legitimè sit constitutum, & numquid sufficiens adsit Judicantium numerus? Formulam interrogationis exhibit Remus *ad artic. 84. pag. 82.* Sempronii, ex te scire cupio, numquid ex animo credas, justum & sufficientem hunc esse numerum Assessorum, qui adsunt, à quo capitalis sententia in Caju feratur: Mantz. *ad h. artic. num 2. pag. 329.* Germanicam formulam concepit. Rationem subinde istius questionis addit, quia sæpiissimè contingere solet, ut Assessores, dum formidant super sanguine & vita hominis judicare, & varias causas, quare comparere in judicio nequeant, callidè excogitant, se se judicio capitali subducant; Quod tamen permitti non debet; cum nemo se se subtrahere debeat in ferenda sententia capitali, quæ plurimorum votis examinanda prius est, quam ad exitum perducatur. Non tantum ideo, quod integrum censeatur Judicium, quod plurimorum sententiis confirmatum est: per l. 8. C. de LL. c. 22. Extr. de Offic. & potest. Judic. deleg. Gail. I. I. Obs. 33. n. 2. pag. 63. Verum etiam, quia ipsi jurandò obstricti sunt ad judicandum de vita & sanguine hominis. Ne itaque è paucorum dijudicatione oriatur suspicio erroris, precipitantiæ, inscitiæ, vel affectus, ideo oportet omnes, qui sunt de numero judicium, adesse, vel si quidam ob justa & legitima impedimenta abesse cogantur, judici incumbit interrogare: An judicium legitimè sit constitutum, & numquid sufficiens numerus Assessorum adsit?

Deinde, si judicium istud non minore, quam septem aut octo Assessorum numero fuit constitutum, tum quilibet ex illis interrogationi judicis ita respondebit: Domine judex: Judicium hoc criminale, quo de capitali sententia ferenda agitur, juxta Cæsaris

Caroli